

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.
0284

0282

0288

0278

0293

0273

0333

0233

0383

0183

0783

Ende

Anfang

272

respondisse fertur: Absit hoc a me, ut per me in regnum Domini ingrediatur scandalum, per cuius sanguinem mundus pacem recepit et pro cuius tranquillitate viri virtutum et immortalis memoriae domini fratres mei egregias animas coelo intulerunt. Quare compositis sarcinis ad propria reversus; rex ergo Balduinus confirmatus in regno anno secundo regni sui (**B**) Gazm, Turcorum minoris Asiae ducem, cum magnis copiis Jerosolymam petentem bello superatum conjecit in carcerem. Sequenti anno regem Damasci ex improviso Jerosolymam cum exercitu hostili animo petentem fudit fugavitque duobus hostium millibus caesis ac mille captis, triginta tantum de suis amissis.

Porro anno quinto regni sui cum rex contra Balach regem Parthorum, infestantem comitatum Edessanum, processisset et die quadam cum domestico comitatu ab oppido Turbessel egressus esset et incaute dissoluto agmine iter ageret, secutus Balach praedictus positis insidiis dictum regem Jerusalem cepit una cum proceribus suis et secum captivos duxit in quoddam castrum ultra Euphratem, in quo eos vinculis alligavit et duabus annis detinuit. Interea princeps Aegyptius audita regis Jerosolymitani captivitate cum infinita suorum multitudine marino itinere Ascalonem pervenit, ut inde ascenderet Jerosolymam. Quod postquam dominus Eustachius Grimer, cui regni gubernaculum commissum fuerat, in regis absentia audivit, ipse una cum regni principibus congregata universi regni militia contra hostes procedere se paravit, pauci contra multos, nihil autem spei nisi Deum habentes: exemplo Ninevitarum utrique sexui jejunium indicunt, pueris etiam lactantibus, infantibus; universo quoque pecori pabula negantur. Dum autem exercitus Domini de civitate sancta exiret, praecessit in acie patriarcha Jerosolymorum, ferens pro vexillo dominicam crucem, et abbas olim Cluniensis dominicam lanceam portavit, quae nuper inventa fuerat, ut dictum est fol. 271., et episcopus Bethlemitanus in pixide lac beatae Virginis tulit. Et ita fide armati nostri contra hostes pergunt, atque juxta locum, qui Ybellim vocatur, eos reperientes, illorum spreta multitudine in eos animosius irruunt atque

